Nf. 60. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-791654-p0002-7

מלאך הברית

LEGATVS FECIALIS

AD MALACH. III c. I

PROGRAMMA

FESTO MICHAELIS DIE

A. C. CIↃ IↃ CC LXXIII

IN

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

EDITVM

A

D. IOANNE FRIDERICO REHKOPF

S. THEOL. P. P. O. ECCLES. HELMST. PAST. PRIM.

ET DIOECES. SVPERINT. GENER.

HELMSTADII

LITERIS VIDVAE P. D. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

ACADEMIAE

IVLIAE CAROLINAE

PRORECTOR ET SENATVS

CIVIBVS HVMANISSIMIS

S. D.

Multa iam et varia per sollemnitatem diei Michaeli, τῷ ἀρχαγγέλῳ, in fastis sacri de spirituum illorum caelestium et prouidentiae diuinae in hac eius ciuitate administrorum, qui *angelorum* nomine appellari consueuerunt, natura et attributis, statu ac discrimine, occupationibus et negotiis, dignitate et cultu, inprimis etiam de duce quasi illo et principe bonorum geniorum, Michaele, in hac nostra Academia docte atque vtiliter scripta sunt. Nec desunt, quae disputari possint super doctrina hac, multis multorum dubiis ab antiquissimis inde temporibus vexata. Inprimis hac nostra aetate, nouarum rerum in interpretandis sacris literis enarrandisque articulis fidei, an semper cum debita verbi diuini reuerentia et ad verum rei sacrae emolumentum, nescio, studiosissima, fortassis non sine fructu nostrorum quaestiones de angelorum in rebus mundanis opera et perpe-

tuo ministerio, malorum praesertim existentia, vi et operatione, et vniuersae huius doctrinae in ceteris capitibus theologicis et ad religionem omnem momento discuterentur. Sed mittemus nunc quidem disputationes hasce, in quibus saepius repugnandum esset viris, quorum alias eruditionem et merita veneramur. Abhorret etiam ingenium nostrum a controuersiis theologicis, praesertim in ea earum agitandarum ratione, quae dominari coepit in quorundam sermonibus librisque. Magis delectamur, ab omni partium studio alieni, ipsius veritatis theologicae et argumentorum eius, e sacris literis et indubiis rationibus ductorum, perspicua et certa expositione. Qui bene adfecti sunt erga religionem animo et veritatis sine praeconceptis opinionibus studiosi, quid de quauis re statuendum et decernendum sit, ex argumentis eius iudicant et tenent, neque aliorum vel vana liberalitatis, quam vbiuis crepant, specie, vel temeraria dubitandi et contra dicendi consuetudine se decipi patiuntur.

Placet igitur et in hac prolusione eam rationem sequi, quam in explicandis vindicandisque rebus diuinis nobis proposuimus, vt veras notiones verborum formularumque loquendi, quibus de illis vtitur consuetudo Scripturae sacrae, subtiliter indagemus repertasque accurate et perspicue definiamus. Quoniam vero ad locum de angelis deducit nos scribendi occasio; in mentem venit, de vno illo maximo *Dei angelo*, cuius in libris potissimum V. T. frequens mentio fit, quemque Theologorum consuetudo, vt ab aliis naturis intelligentibus, angelorum nomine insigniri solitis, et a Deo in principio rerum pariter effectis, discernant, quippe non creatum aut productum, *angelum increatum* appellat, differere. Eum esse filium Dei aeternum, Dominum nostrum et Seruatorem, Iesum Christum, non dubitabit, qui religiose sequi-

guitur librorum diuinorum auctoritatem. Verum non est animus, omnia sacrarum literarum loca, in quibus de eo, ceu Dei angelo, sermo est, aut ex omnibus singula, quae de eius natura, munere, operibus commemorantur, congerere. Versabitur dispuratiuncula nostra tantummodo circa appellationem eius, quae habetur *Mal. III, 1.* vbi מַלְאַךְ הַבְּרִית dicitur. Expressa ea est in vernacula nostra versione verbis: *Engel des Bundes*; latine redditur vulgo: *angelus foederis.* Vereor, vt interpretatio haec sit satis commoda et accurata, atque verbis eius audiendis instaurentur in animis nostrorum hominum notiones, quae, ex vsu loquendi Scripturae sacrae, subiectae sunt vocabulis illis hebraicis. Sed neque, quae ab aliis scripta ad hunc locum ipsi cognouimus, ea nobis visa sunt, quae nos possint auocare ab hoc scribendi consilio. Itaque periculum faciamus, an possimus, illis notionibus paullo curatius inuestigatis et explicatis, efficere, vt intelligatur, verum sensum illius compellationis esse eum, quem in indice huius scriptionis posuimus. Quod quidem, ni fallor, fiet iusta ratione, si, quae sit vera illorum nominum ex sermone hebraico scriptorum sacrorum significatio, et quomodo in Iesum Christum conueniat, collato orationis contextu, adhibitisque N. T. similibus denominationibus et descriptionibus, ostendamus.

Ac primo quod ad vocem מלאך attinet, vera eius vis ac potestas frequentissimo in libris V. T. vsu ita est definita, vt, licet non habeat radicem in reliquiis linguae hebraicae, quae ad nostram aetatem peruenere, vnde forma grammatica possit duci, tamen extra omnem dubitationem posita sit. Sed ipsa vocabuli notatio docet, facile admittendos esse, qui, in subsidium vocatis ceteris linguae orientalis dialectis ad restituendas hebraicae radices deperditas, illud ab superstite in Aethiopica verbo

לאך, quod *mittere* notat, deriuant. Hinc nomen ipsum designat *eum, qui mittitur ab alio, nuncium, legatum*, non naturae vim et speciem, sed officii ac ministerii rationem demonstrans. Quod quum indicat etiam graecum vocabulum ἄγγελος, hoc ex graecis V.T. versionibus in libros N.T. et latinas interpretationes translatum, quin et in nostram vernaculam cum leui mutatione assumtum, ita frequentari coepit in sermonibus scriptisque ecclesiasticis, vt genus quoddam singulare naturarum intelligentium, quarum ministeriis in gubernando hoc vniuerso Deus vtitur, hoc proprio nomine ab aliis distingueretur. Sed multo arctioris significationis nomen est in latina nostraque scriptorum et doctorum ecclesiasticorum lingua, quam graecum hebraicumque. Nam quum nostrum aeque ac latinum proprie non nisi de spiritibus illis caelestibus dicatur, quorum naturam, statum et occupationes libri doctrinales Theologiae purioris in loco de angelis exponunt: graecum praeterea de cuiusuis quoque generis nunciis adhibetur, hebraicum autem non solum hominibus a Deo ad certa negotia quasi ablegatis, *Mal. II*, 7, *III*, 1. *2 Chron. XXXVI*, 15. verum etiam rebus ipsis inanimis, ministeria Dei immortalis obeuntibus, vt volunt nonnulli, *Psalm. LXXVIII*, 49. *CIV*, 4. imo vni illi et magno Dei legato, de quo nunc nobis sermo est, natura et officio spiritibus caelestibus et hominibus omnibus longe excellentiori, nempe Dei filio ὁμοουσίῳ, Deoque adeo ipsi tribuitur. Quare hebraicum מלאך in nostris versionibus non vbiuis satis commode et sine ambiguitatis obscuritatisque vitio *angeli* vocabulo exprimitur. Adhibendum hoc esset tantummodo in locis illis, vbi eorum mentio iniicitur, quos proprie et strictissimo sensu *angelos* vocare consueuimus. Sed inde, scilicet ex vsu huius verbi promiscuo in versionibus, originem habet distinctio angelorum creatorum et increati in libris nostratium. Equidem non is

sum,

sum, qui eam omnino improbem, vt potius ea vix ac ne vix quidem carere nos posse concedam, postquam vsus ille inualuit. Sed fortasse melius fuisset non sic sine discrimine vsurpare nostrum *Engel*, *angelus*, quum arctior eius notatio non ex asse respondeat ampliori hebraici, sed eo audiendo de geniis creatis cogitare solent nostri homines. Hinc etiam in libris N. T. et sermonibus Apostolorum ipsis (nam *Act. VII, 30.* ἄγγελος κυρίε est ex versione Alexandrina *Exod. III, 2.*) vocabulum ἀγγέλε nunquam de Christo adhibetur, sed Paullus *Hebr. III, 1.* hebraicum מלאך vertit ἀπόστολον, ceterique N. T. scriptores vim eius nominis verbo ἀποστέλλειν aliisque similibus exprimunt. Fit hoc sine dubio propterea, ne quis per propriam et singularem, quam nomen ἀγγέλε iam tum habuisse videtur, significationem Christum angelis creatis annumerari existimet. Quanquam enim Scripturae V. T. מלאך יהוה, ἐξόχως sic dictum, secernunt ab aliis מלאכי יהוה, illumque ceu talem describunt, qui non sit horum instar a Deo creatus, sed ipse naturae ac virtutis diuinae particeps, licet a Deo etiam aliquatenus distinctus, et ideo ipsum יהוה appellant: tamen, si de verbo quaeritur, recte ἄγραφον dici potest discrimen creatorum angelorum et increati, et cum hoc solummodo communicatur illorum appellatio propter officii, cui obeundo a Deo adhibentur, quandam similitudinem, quoniam, vti diximus, non naturae et substantiae, sed officii et ministerii declarationem continet. Neque etiam, quando *nunciorum* aut *legatorum* diuinorum nomina illis attribuuntur, ea ex hebraica loquendi consuetudine propriam illam notionem habent, quam ex vsu Latinorum iis adiungimus. Quis enim est, qui non intelligat, vbi in sacris literis Christus, Spiritus sanctus, angeli *mitti* a Deo et *venire* ad homines dicuntur, hoc non proprie, sed tropice dictum esse? Nam Hebraeis שלח et in N. T. ex

He-

Hebraismo ἀποστέλλειν, πέμψαι, *mittere*, dicitur etiam is, qui sua voluntate, decreto, instinctu et virtute alicuius negotii et effecti auctor est, efficitque, vt aliquis loquatur quid agatue, consiliis suis consentaneum. *Mittere* igitur, sublata metaphora, nihil aliud est, quam quod proprie dicas *mandare*, *in mandatis dare*, *destinare et adhibere rei aut negotio*, *ministerio alicuius vti in declaranda et exsequenda voluntate*. Sic filius Dei dicit de se, *Iesaiae XLVIII*, 16. יהוה שלחני *Ioh. VI*, 57. ἀπέστειλέ με ὁ πατὴρ, et Paullus de eo *Gal. IV*, 4. ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, hoc est, voluit Deus, vt filius suus, humana natura indutus, appareret in his terris, et decreta sua de salute hominum restituenda patefaceret atque exsequeretur; quod quum in eo esset vt faceret filius inter homines versatus, saepius se ipsum a patre exiisse et venisse in mundum asserit. Simili ratione ille ipse spiritum sanctum se missurum esse ait, vbi indicare vult, se esse effecturum, vt necessariae institutionis ac virtutis diuinae, auctore Spiritu sancto, homines fiant participes. Prophetae autem atque Apostoli in sacris libris missi feruntur a Deo, quoniam Deus vtitur ministerio eorum in voluntate sua inter homines declaranda et perficienda, ipsique ex supernaturali instinctu adflatuque Dei oratores et interpretes sunt consiliorum ac praeceptorum eius ad homines. Vti igitur nomen *legatorum diuinorum*, cuius tota vis in voluntate Dei demonstranda et exsequenda cernitur, geniis illis caelestibus tribuitur propterea, quod sunt πνεύματα λειτουργικὰ, spiritus ministerio ciuitatis diuinae addicti, destinatique perferendis ad homines mandatis diuinis; qua ipsorum opera in magnis rerum humanarum conuersionibus, his praesertim, quae ad Christi personam, munus et religionem pertinent, Deus vsus est, vtitur adhuc, vteturque olim: ita in loco nostro non solum Iohannes, ab muneris et ministerii diuinitus demandati ad futurum Messiam ratione, (conf. *Matth. XI*,

XI, 10. Marc. I, 2. 3. Iesa. XL, 3. s. Io. I, 6. s. 23.) sed etiam Messias ipse propter officii ex decretis promissisque diuinis in his terris obeundi partes hoc nomine appellatur.

Sed videndum iam est de verbi ברית et in se spectati vero sensu, et cum nomine מלאך coniuncti recta interpretatione. Dubium non est, ברית proprie esse *foedus*, *pactum*, Hebraeis ita dictum a *secandi* notione, quae est primitiua radicis eius ברה, ob dissectionem animalium in pangendis foederibus fieri solitam (v. *Ier. XXXIV, 18. 19. Gen. XV, 17. 18.*) vnde כרת passim de foedere dicitur, vt Latinis *ferire*, *icere foedus*, Graecis ὅρκια τέμνειν, Chaldaeis גזר קים. Sed in hac nostra disputatione inprimis disquirendum est, quonam sensu accipiendum sit in sermone diuino apud Malachiam, numque מלאך הברית ex hebraica loquendi consuetudine et ad intelligentiam nostrorum hominum recte vertatur *angelus s. legatus foederis*. Atque hic nos non sumus ii, qui negemus, in sacris libris saepe fieri mentionem foederis diuini cum hominibus initi. Quaestio tantummodo est de eo, vtrum, vbi tale foedus commemoratur, adeoque hoc etiam in loco, vox ברית propriam suam significationem habeat, an translatam? Sunt, qui priorem tueri velint, et hinc in tradendis quoque religionis doctrinis multa de foederibus diuinis eorumque institutis et legibus loquuntur, ἀλληγορεμένοις hisce admodum delectati. Sed COCCEIVS ipse, Theologiae foederalis praecipuus auctor, in scriptis suis *(de Foed. dupl. c. 1.)* expresse fatetur, vocabulum hoc, quando ad Deum transfertur, semper συνεκδοχικῶς dici, et eius instituta, leges, promissa, coniuncta ea inprimis cum praescripta quadam disciplina, designare In his autem non est proprie id, quod in vernacula nostra *Bund* appellamus. Neque scriptores bene Latini ita vtuntur *foederis* vocabulo. Nam quando poetae ordinem et rationem, certis quasi

legibus ita constitutam, vt mutari temere nequeat, foedus nominant, et naturam aeternas leges ac foedera habere, aut astra certo foedere moueri dicunt; fere vti Iobus, *XXXI, 1.* foedus se pepigisse cum oculis suis, aut Deus, *Ier. XXXIII, 20. 25.* foedera se diei noctisque sanxisse, ait: in eo esse modum loquendi tropicum, nemo non perspicit. Atque hoc modo etiam intelligendum esse foedus, vbi de Deo dicitur, docent clarissima Scripturae S. loca. Ita enim aperte sumitur de promissis diuinis, *Exod. XXXIV, 10. Ies. LIX, 21. Ps. XCVIII, 4.* de legibus diuinis, decalogi inprimis, quae דברי הברית עשרת הדברים nominantur, *Exod. XXXIV, 28.* vnde dicuntur tabulae lapideae, in quibus perscripta erant haec praecepta, *Deut. IX, 9. 11. 15.* לוחת הברית, Paullo, *Hebr. IX, 4.* αἱ πλάκες τῆς διαθήκης, arca autem illis adseruandis destinata, ארון הברית, *Ios. III, 14. 2 Chron. VI, 11.* Paullo l. c. ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης. Laudari meretur in hanc rem descriptio huius arcae apud PHILONEM *(L. III. de vit. Mos. p. 668.)*: ἡ μὲν κιβωτὸς ἀγγεῖον τῶν νόμων ἐστίν· εἰς γὰρ ταύτην κατατίθεται τὰ χρησθέντα λόγια, *arca vas est legibus destinatum: in hanc enim oracula diuina et decalogus recondebantur.* Bene de latiore vocis ברית in sacris vsu B. CALIXTVS noster *(de pactis, Th. 44.)*, *quaecunque*, inquiens, *statuta, promissa, mandata Dei dicuntur pacta Dei, etiamsi nulla apponatur conditio, nec ab altera parte accesserit acceptatio.* Plerumque autem, nisi me omnia fallunt, ita in sacris libris ponitur vox ברית, vt vtrumque complectatur, et omnem religionem, seu vniuersam religionis doctrinam et constitutionem, quae legum et promissionum diuinarum formula continetur, designet. Cuius quidem quum duplex decreta et instituta a Deo esset, respectu tum promissi tum exhibiti Messiae, facies quasi et dispositio: prius seu antiquum, et posterius seu nouum foedus distingui coepit. In vtroque vna semper eademque est ac manet religionis

natu-

natura, sed diuersa diuersis temporibus obtinuit eius οἰκονομία, promulgatio atque administratio. Atque ad hanc inprimis respici existimo, vbi is, quo Deus tanquam legato et ministro in ea constituenda vsus est, מלאך הברית appellatur.

Iam quidem duo haec nomina, in statu constructo, vt loquuntur Grammatici hebraici, posita, si posterius de promissis intelligas, verti etiam possent *legatus* seu *internuncius promissionis diuinae*, id est, *diuinitus promissus*, scilicet olim maioribus Iudaeorum in foedere cum illis icto ad montem Sinai, *Deut. XVIII, 15 f.* vti ex Hebraismo רוּחַ הַקֹּדֶשׁ *spiritus sanctitatis* est *spiritus sanctus*. At quamuis interpretatio haec per se sensum redderet satis commodum atque rei ipsi et personae huius legati diuini consentaneum: dubito tamen, afferri posse locum ex sacris libris, vbi vox ברית in hac significatione ita sit posita, vt vicem adiectiui sustineat. Nec conuenire videtur haec sententia contexto orationis, de quo mox plura dicemus. Hinc vocem ב ר ת hoc in loco potius interpretandam esse putauerim de *religione* siue, si malis, *noua religionis formula et* οἰκονομία, quae nititur doctrina euangelica de restituta hominum salute eorumque cum Deo reconciliatione, et in qua euentum habuerunt omnia, quae tempore prioris οἰκονομίας typicae a Deo instituta, praedicta et promissa sunt. Quemadmodum igitur Messias saepius מלאך יהוה *legatus Iouae*, dicitur in scriptis Mosaicis, quoniam Deus eius ministerio in declarandis exsequendisque decretis et mandatis suis egit cum Iacobo, Mose, Israelitis aliisque, et, quae futura erant, ex consiliis promissisque suis, eo interprete atque exsecutore, perficere inter homines proposuerat: sic hoc in loco speciatim מלאך הברית vocatur proprerea, quod, vti expectabant et optabant veri nominis Israelitae, fidem habentes praedi-

ctionibus et promissis diuinis, Deus eius operam adhibere volebat nouae religionis οἰκονομίᾳ doctrina eius et morte sanciendae. Si quis bene Latine exprimere vellet huius appellationis sententiam, commode, vt opinor, vteretur *legati fecialis* nomine. Comparari enim potest Messias in hoc eius negotio apprime Fecialibus Populi Romani, de quibus elegans exstat disputatio in IO. IENSII *Ferculo literario.* Nempe sic apud Romanos dicebantur sacerdotes, qui fidei publicae inter populos praeerant, et per quos fiebat, vt iustum foedus conciperetur, et foedere, a quo faciendo nominabantur, fides constituerentur. Inde, vt in libello laudato ostendit IENSIVS, Graeci eos εἰρηνοδίκας, εἰρηνοποιὸς et σπονδοφόρους interpretantur, et *Dionysius Hal.* Fecialium fuisse ait, τὰ περὶ τὰς συνθήκας ὅσια φυλάττειν, εἰρήνην τε ποιεῖσθαι. Inprimis munus eorum his rebus absoluebatur, vt ciuitatis suae vere sacra legatione fungerentur ad querendum de iniuriis publicis, Deumque et hominum iras non satisfacientibus imprecandas, ad res controuersas disceptandas componendasque, ad pacem denique et amicitiam, infestis vtrinque prius populis salubrem ac miserandis belli cladibus optatum finem imposituram, ritu patrio certisque caerimoniis ineundam et sanciendam. Equidem non vereor, ne sint, qui ethnicismi in re sacra me accusent, quod vocem a gentilibus hominibus repetitam transferam ad Deum ipsum eiusque legatum sanctissimum, praesertim quum iam ante me sine reprehensione eam vsurparint in tali caussa Theologus quondam Gottingensis, I. D. HEILMANNVS, qui (*Compend. Theol. dogm. p. 203.*) hunc ipsum מלאך הברית, de quo nobis nunc sermo est, *legatum foederis et fecialem Deum inter atque homines, horum pacem conciliaturum,* interpretatus est, et SAM. L. B. de PVFENDORF in libro, ex praestantissimis scriptis irenicis vno, cui titulus est: *ius feciale diuinum, siue de consensu et dissensu Protesta-*

testantium exercitatio posthuma, *Lub. 1695*. Et quis est, qui non videat, id nominis optimo iure conuenire in personam, quam in his terris μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς Ιησοῦς gessit? Etenim is est, qui decreta Dei de restituendis in pristinam felicitatem hominibus miseris, ab aeterno concepta, suo tempore exsecutus est, dum non modo, praestita sanctitati ac iustitiae diuinae satisfactione, Deum cum genere humano reconciliauit, et huic amissam felicitatem restaurauit ac promeruit, sed etiam, introducta praestantiore religionis formula, homines de restituta salute eiusque consequendae lege et conditione certos reddidit et instituit, quin eos omnes, qui sequuntur propositam rationem, gratiae diuinae aeternorumque beneficiorum, suo merito adquisitorum, vere participes facit.

Atque hanc omnino esse sententiam huius appellationis futuri Messiae, tum varia prophetarum N. T. de eo vaticinia, tum personae eius et muneris in libris N. T. descriptiones perspicue declarant. Ac primo ipse orationis apud Malachiam contextus eum nobis sistit, tanquam verae religionis ex Dei promissis et Iudaeorum expectatione instauratorem. Nam quum vates in eo esset, vt vitia sacerdotum sui temporis redargueret, et verbis vltimis Iudaeorum improborum voces, quibus non prauos esse suos mores, sed Deo potius acceptos, inde euincere audebant, quod Deus non puniat, commemorasseat: iam opponit illis vaticinium de differenda quidem aliquamdiu, certissime tamen adfutura diuina castigatione et correctione. Nempe praedicit, *cap. III, 1-4.* fore, vt templo hoc secundo adhuc stante, opinione citius appareat Dominus ille Deus heruſque templi, quem expectant, et legatus fecialis ad emendandam religionis et doctrinae rationem, moresque doctorum et sacerdotum grauiter

explorandos atque corrigendos. Quaenam futura esse noua religionis οἰκονομία, huius legati diuini ministerio instituenda, non poterant ignorare Iudaei, quibus ea iam per *Ieremiam* (*c. XXXI, 31-34. coll. Hebr. VIII, 8. f.*) exposita erat verbis clarissimis. Neque ipsis obscurum aut ad intelligendum difficile esse poterat vocabulum ברית iunctum nomini מלאך, qui illud a multo iam inde tempore ex prophetarum sermonibus intelligere consueuerant de diuinis religionis institutis, neque nesciebant, praedixisse *Iesaiam* (*c. XLII, 7. XLIX, 8.*), Deum exhibiturum esse hunc legatum suum לברית עם, hoc est, ceu eum, qui rata faceret promissa maioribus, populo noua religionis luce collustrando et in feliciorem statum restituendo. Frequentissima etiam huius מלאך יהוה mentio fit in libris Mosis, tanquam oratoris diuini ad homines horumque redemtoris et vindicis. Nec dubitandum amplius videtur, *Iob. XXXIII, 23. 24.* illustre esse oraculum de legato illo, ceu interprete voluntatis diuinae (מלאך מליץ), qui mediatoris partes susciplat, vt iustam indicet hominibus ad frugem redeundi rectcque agendi rationem, eorumque misertus, reperto datoque liberationis pretio, Deum roget, vt vindicet eos ab interitu. Eandem propemodum sententiam habet appellatio נביא, προφήτης, si ex celebratissimo illo loco *Deut. XVIII, 15. f.* ita cum Christo communicatur, vt dicatur Mosi similis futurus. In eo enim nomen hoc singularis cuiusdam personae notionem adiunctam habet. Scilicet non solum doctorem a Deo missum et constitutum significat, sed etiam, et multo magis legislatorem, ducem et gubernatorem gentis Israeliticae, internuncium Dei, μεσίτην (*Gal. III, 19. 20.*) foederum, hoc est, legum ac promissorum diuinorum, qui auctoritate diuina nouam religionis veteris et reipublicae Iudaicae formam et oeconomiam induxit, populumque e potestate tyrannorum et vltimo internecionis periculo exemtum ad

ipsum

ipsum terrae beatissimae aditum perduxit. In quibus omnibus quum Moses figuram et imaginem gereret futuri Messiae et Seruatoris generis humani, qui eadem omnia facturus erat, sed alio in genere: in hoc pariter nomen נביא denotat legatum Dei fecialem, cuius ministerio Deus vti volebat in hominibus sibi consecrandis nouaque salutis oeconomia instituenda et confirmanda, vt alio loco demonstrauimus. Sic quae de munere eius inter homines olim administrando, quod peccatorum expiatione, veri cultus diuini, oeconomia typica abrogata, institutione, ecclesiae gubernatione et exornatione, mortis denique plena abolitione, coniuncta cum vita et gloria aeternum duratura, absolueretur, praedixerunt prophetae V. T., omnia declarant eam significationem, quam nomini מלאך חברית attribuendam esse statuimus. Vere in omnibus officii sui partibus sese praestitit, ceu μεγάλης ϐελῆς ἄγγελον, in annunciandis exsequendisque consiliis diuinis occupatum. Propterea etiam a prophetis saepius vocatur עבד יהוה, vt *Ies. XLII, 1. XLIX, 5. LII, 13. LIII, 11.* quod vulgo, sed minus accurate *seruum Dei* reddunt, quum notet potius *legatum eius*, certo ministerio adhibendum.

Sed paucis etiam exponendum est de huius nominis declarationibus in N. T. libris. Referenda huc sunt ex sermonibus Christi ipsius omnia ea effata, quibus personae ac muneris sui rationem demonstrat; qua quidem in demonstratione erat praecipua doctrinae eius pars. Nam clarissimis verbis profitetur, ablegatum se esse a patre et venisse in hunc mundum, ceu promissum in V. T. Messiam, hoc est, destinatum et consecratum diuinae legationis muneri, eo consilio, vt non solum docendo homines ad veram voluntatis diuinae cognitionem et reuerentiam adduceret, sed etiam obsequio legi praestando et morte obeunda piaculari eos ab aeterna pernicie redimeret, Deo re-

reconciliaret, beatoſque redderet omnes hac lege et conditione, vt doctrinam ſuam ac meritum vera fide amplecterentur. Hinc quoque *Iohannes*, *Eu. I*, *1-14.* de eo vtitur nomine λόγε, illis, vt patet, quibus librum ſuum deſtinauit, ſatis iam noto et frequentato, quo eum deſignat, tanquam *miniſtrum*, *legatum* et *oratorem Dei* melioris oeconomiae inſtituendae cauſſa ad homines quaſi mittendum. Etenim, vt addit, *v. 17.* legis quidem inſtituta per Moſen data ſunt Iſraelitis, ſed maxima Dei beneuolentia, verbis et imaginibus promiſſa illis et adumbrata, nunc per Chriſtum omnibus declarata et impertita eſt. Chriſtus, quanquam Dei filius, vixit in his terris, vt διάκονος, quia miniſtri perſonam, a Deo ſibi demandatam hominum cauſſa ſuſceperat. Ita enim ipſe de ſe teſtatur, *Matth. XX*, *28. veniſſe filium hominis*, *vt miniſtret*, *ponatque vitam ſuam*, *tanquam redemtionis pretium*, *pro multis.* Paullus vero de eo *Rom. XV*, *8.* λέγω δὲ, Ιησοῦν Χριστὸν διάκονον γεγενῆσθαι περιτομῆς ὑπὲρ ἀληθείας θεοῦ, εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων, id eſt, Ieſum Chriſtum inter Iudaeos miniſterium publicum geſſiſſe, vt Deum veracem eſſe et fidem ſuam liberare oſtenderet, nempe vt rata faceret promiſſa maioribus eorum. Quo in loco appellario legati, qui verbis factiſque praeſtet et rata faciat, quae Iudaeis in V. T. promiſſa fuerunt, perſpicue ſenſum nominis מלאך הברית declarat. Inprimis autem idem Apoſtolus in Epiſtola ad Hebraeos, vbi totus, vt ita dicam, in eo eſt, vt vaticiniorum typorumque V. T. ad Chriſtum rationem et in munere eius euentum demonſtret, variis modis explicat vim ac poteſtatem illius denominationis. Quoniam vero copioſius hac de re exponere, temporis et ſcriptionis huius limites nunc non permittunt, adducendis modo quibuſdam interpretationis Paullinae exemplis, quae dicta ſunt, comprobabimus. In principio ſtatim epiſtolae *C. I*, *1.* ait, Deum, poſtquam per prophe-

pre-

tas locutus fuerit cum maioribus, tandem N. T. tempore vsum fuisse filio suo, tanquam legato et voluntatis interprete, per quem de hominum salute perspicue exponeret. *C. III*, 1. eum appellat ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, *legatum Dei et summum sacerdotem fidei nostrae ac religionis*. In his verbis graecum vocabulum ἀπόστολος exprimit hebraicum מלאך, *legatum* nempe, ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον, *Io. X*, 36. ὁμολογίας autem voci ברית respondet. Omnino reddunt totam appellationem nomina ad describendum Christi munus a viro diuino ex veteris testamenti tabulis repetita, vbi ab eo vocatur κρείττονος διαθήκης ἔγγυος, *C. VII*, 22. κρείττονος διαθήκης μεσίτης, *C. VIII*, 6. διαθήκης καινῆς μεσίτης, *C. IX*, 15. διαθήκης νέας μεσίτης, *C. XII*, 24. Vocabulo διαθήκης, quod generatim *dispositionem* notat et dialecto Alexandrina idem est ac συνθήκη, LXX autem adhibent pro hebraico ברית, vtitur Apostolus, ad Iudaicae loquendi consuetudini adsuetos verba faciens, mox *foederis*, mox *testamenti* significatione, ita tamen, vt eo nihil aliud intelligat, quam gratiae diuinae hominibus declarandae et impertiendae rationem et οἰκονομίαν, morte testatoris seu sponsoris sancitam, vti et nouam ac praestantiorem distinguit a priore et antiqua. Sic διαθήκην interpretatur PHILO (de sacrif. Abel. et Cain. p. 138.) Διαθήκη ἐστὶ θεῦ συμβολικῶς αἱ χάριτες αὐτῦ, id est, *figurate dicuntur gratiae eius*. Nominibus autem ἔγγυος et μεσίτης, *sponsor* et *fideiussor*, eadem sententia et allegoria appellat Christum, quoniam intercessore illo et mediatore vsus est Deus in institutis suis inducendis et confirmandis.

Atque hic vnus et solus est μεσίτης θεῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησῦς, ὁ δὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις, *1 Tim. II*, 5. 6. Hac enim morte

 sua

ſua piaculari, ſuo tempore ex decretis promiſſiſque diuinis conſecuta, non modo teſtimonium praebuit veritati doctrinae ſuae, vt hoc libentius ei obtemperemus, ſed etiam multo magis iuſtitiae Dei ſatiſfecit nobiſque amiſſam ſalutem recuperauit, vt merito eius confiſi et de diuina in nos beneuolentia certiſſime perſuaſi, ſpem habere poſſemus felicitatis aeternae impetrandae. Intueamur igitur pia mente hunc Dei legatum, nobis etiam benigniſſime conceſſum. Veneremur ſtudioſe religionem ab eo verbis factiſque declaratam et comprobatam. In ea enim ſita eſt vera noſtra ſapientia, ſpes ac felicitas. Ad eam omnes oportet ſe componere, qui veri nominis Chriſtiani eſſe haberique velint. Scribebam in Academia Iulia Carolina, Pridie Feſt. Mich.

A. C. CIↃ IↃCC LXXIII.

Maeklein p 25

13.6.
27.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-791654-p0022-8

Id 6020
(I)
X 2284726

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-791654-p0024-9

מלאך הברית

LEGATVS FECIALIS

AD MALACH. III c. I

PROGRAMMA

FESTO MICHAELIS DIE

A. C. CIↃ IↃ CC LXXIII

IN

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

EDITVM

A

D. IOANNE FRIDERICO REHKOPF

S. THEOL. P. P. O. ECCLES. HELMST. PAST. PRIM.

ET DIOECES. SVPERINT. GENER.

HELMSTADII

LITERIS VIDVAE P. D. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

33

al.